

DISSERTATIO MEDICA ^{10.} INAUGURALIS
De,

FEBRIS RATIO-
NALI RATIONE,

Quam

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI
FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c.

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

MED. D. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. ACADEM.

PRO RECTORE ET FACULT. DECANO,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores

& Privilegia Doctoralia adipiscendi,

Add. Martii, Anno MDCCI, Horis ante & pomeridianis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet

JOHANNES FRIDERICUS REINECCIUS,
Francohusanus.

HALÆ MAGD. Typis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.

DIPLOMATO MEDICINAE UNIVERSITATIS

FEBRIS RATIO NAIL RATIONE

IN ALMA MATEMATICA ET RECTORII

PROFESSORIS MATH. P. I. ET
PHYSICAE MATH. P. II. ET
MATH. P. III. ET MATH. P. IV.

DAVID RICHARDSON

WILHELMO

REGNI BOHEMIAE ET MORAVIAE
ARCHIEPISCOPO ET ELECTORI

FRANCOFURTI AD MOENIA

IN GEORGIO ERNSTO STAHL

PROFESSORE

PHYSICAE MATH. P. I. ET
PHYSICAE MATH. P. II. ET
PHYSICAE MATH. P. III. ET
PHYSICAE MATH. P. IV.

JOHANNES ERNSTUS RICHARDSON

ANNO MDCCLXXII





PROOEMIUM.



*F*ebria antiquum sacrorum quorundam nomen esse, sciunt Philologi, quo nempe ritus quidam solennes, ad expurgationem seu expiationem imminentium quorundam malorum, adhiberi soliti, notabantur, ut Varro lib. V. de lingu. Latin. memorat, & vocabulum ipsum Sabinorum Linguæ assignat, quâ idem significet, quod Romana lingua purgamentum, ut pluribus quoque verbis denotat Ovidius l. 2. Fastor. Adhibebantur autem Febria hæc, expiationi & veluti depulsiōni damnorum, quæ à Manibus sive animabus demortuorum, timeri solebant, uti allegati Ovidii verba l. c. denotant, quod placandis manibus, & causis malorum tollendis, hæc purgamina satisfacere credita sint. Unde quidem derivatio illas vocabuli hujus, à voce *ferueo*, non magnificimus; Cujuslibet etiam placitis relinquentes, comparationem vocum *Φοβίαζω*, & *februo*, *Φοβίος* & *febris*, quas Onomasticum primum inter se confert. Illud vero nostra sententia magis probamus, quod vocabulum *febris*, si non terminatione, quæ magis Romana videtur, tamen formatione atque tota origine, sit eadem cum voce *februo*, nempe *Sabina*, & Latina lingua expurgationem denotet.

A

Illud

Illud satis manifestum est, quod nullæ derivationis leges, vocabulum *febris*, à *ferveo* deduci permittant; Atque appellations *πύρ*, & *πυρετός*, atque latinam hanc, *Febris*. Licet enim unam rem, nempe *astum* præternaturalem vulgo denotent, non tamen inde probabiliter, nedum necessario, sequitur etiam etymologicæ derivationis necessaria similitudo, huic circumstantiæ superstructa.

Non erimus prolixi in suppositione incertissima formanda, quasi reverà veteres *Sabini*, & post hos Romani, morbum illum ex proposito hoc nomine, *Febris*, notaverint; quod agnovissent, illum reverà *expurgatorium* quendam actum in corpore humano existere; Sed sufficit nobis, rem ipsam, nostræ sententiæ examusim respondentem designare, quod nimirum affectus ille, quem *Febrem* appellant, convenientissime etiam manente *significatione expurgationis*, seu *februationis*, ita nominetur: Et quidem convenienter translato significationis effectu, ab arbitrario illo religioso *purgatorio sacro*, tanquam late patente quodam instituto atque scopo, cujus applicatio apposite quadret ad hoc speciale & singulare *repurgationis* genus, quod *febris* nomine notatur.


Februa videlicet in genere, purgamina sive *repurgationes* denotabant; In specie vero *sacra* illa, quæ *februa* nominabantur, à quibus Mensis *Februarius* dicebatur, expurgationem & depulsionem *animarum vitâ sanctarum*, absolvere credebantur.

Affectus ille, qui *febris* nomine denotatur, non modo in genere *repurgationem* aliquam *viventis* corporis præstat; Sed in specie *repurgationem* ab *emortalibus* periculis & corruptelis, quæ strictè in *emortualem*, veluti *sepulchralem*, *putridam*

dam nempe, corruptionem, corporis mixtionem rapiunt & Adeo, ut ipsæ putredinosæ tales materiæ, non solum ab *emortuo*, sed jam *computrescente* corpore, expirantes, & *vivum* corpus ad similem corruptionem incitantes, quasi maligni quidam *spiritus e sepulchris, febre*, tanquam *februo* quodam Sacro, expellantur atque abigantur.

Quo minus vero rituum illorum phantasticorum, quibus *februa* sacra constabant, ulla ratio reddi potest, nisi quis acquiescere velit in illa firmissimâ *intentione* ritus hos administrantium, quæ efficax fuerit, ad spiritualem talem *imperiosum* effectum perperrandum: Cujusmodi quidem efficaciam etiam plerosque Magicos actus & fascino vim adscribere, cum Helmontio, haud pauci consueverunt: Tanto evidentior nobis apparet ratio, illorum actuum, quibus febris seu repurgatio corporis, a corporeis sepulchralibus corruptelis, perficitur, utpote qui uniuersim Mechanicam quandam corpoream rationem atq; proportionem habent ad suum effectum, excepta tamen intentione incipiendi, proportione prosequendi, & mensura sive termino desistendi, sive feliciter, sive secus, successerit totus conatus & actus.

Placuit præsentè dissertatione Inaugurali rem hanc evolvere, cui propterea titulum fecimus, DE FEBRIS RATIONALI RATIONE; qua demonstrare speramus, quod præsentibus in corpore ejusmodi causis, quas *febrem* provocare in confesfis est, non modo necesse sit, *febrem* suscipi, *moraliter* seu *finaliter*; Sed etiam ita suscipi necesse sit *Physicè* seu *instrumentaliter*. i. e. Non modo *rationi* consonum esse, positis ejusmodi causis, *febrem* suscipi, sed etiam ita suscipi, quomodo nempe unice *speratum* atque *utilem* effectum obtineri posse, & non aliter, *ratio* vera atque firma, apprehendit & agnoscit.



SECTIO I.

Physiologica.

Suppositiones quasdam continens de
deputatione & conservatione san-
guinis & corporis.

CAPUT I.

DE VITA.

INtricatissimum negotium in hunc usque diem fuit, *theoria* VITÆ; Ita ut neque satis manifesto declaratum reperias, quid proprie fit & dicatur *Vita*; Neque dilucidè explanatum, quo respectu & secundum quid, corpus aliquod *vivum* dicatur.

Non placet prolixè scrutari & demonstrare sterilitatem traditionum illarum, quibus vita modo in *spiritibus*, modo in *motu*, modo in *anima in habitatione* in corpore, modo in *influxu astralis* cujusdam *lucis*, modo in *lumine* quodam *ipsis spiritibus* infuso, modo in *balsamica* quadam materia, (ut alias privatorum phantasias taceamus) non tam quæsitam fuit, quam fugitiva quasi suspitione, breviter, & velut in transitu, designata.

Permovit nos hæc difficultas, ut attentius pensitatis rei circumstantiis, inquireremus, quidnam *proprie*, & ut vocant, *formaliter*, appareat *Vita* nomine dignum; Talis nimirum actus aut res, quo corpora illa, quibus *vita* tribuitur, ab aliis *vita destitutis* differre videantur: Si qua forte dilucesceret, quoniam intuitu majores nostri quædam sua placita, præcipue illud de *motus vitalis efficacia*, cum veritate conciliare potuissent.

Obtulit

Obtulit se nobis sub tali examine, primo statim loco, corporis animalis, & *viventium* quorumlibet, plane peculiaris *mixtio*, corruptioni nimirum seu resolutioni *putredinosa* præsentissimè exposita; Adeo ut hanc re ipsa non modo certò, sed omnino citò experiri necesse haberent, nisi planè speciali quodam actu, modo, atque methodo, conservarentur, & à pessimo illo effectu atque eventu præservarentur.

Perpendimus simul exquisitè, quod revera & formaliter quæcunque pars corporis vivi tunc demum *mortua* dicatur, i. e. vitali sua crasi aut conditione ita privata, ut ad habitum, nempe *vitam* ipsam, nullus ipsi pateat regressus, quando reverà *putredinosa* illa corruptione mixtionis suæ corripit cœpit. Siquidem pars sensu & motu orbata, exarida quoque, flaccida, torpida, quæ & apparet, & vulgo dicitur vita destituta, nihilominus ad hanc promptè & sine difficultate redit, si debitus influxus motus vitalis ipsi denuò conciliatur: Parti vero, sive portioni actuali *corruptione* jam correptæ, vita utique reconciliari eo ipso non potest, quia hæc restitutio motus vitalis ipsi præstari nullo modo valeat.

Ut adeo rebus his condignè perpensis, *Vita* essentialiter esse videatur, conservatio *mixtionis* corporis animalis, summè corruptibilis, ne illud actu ita corrumpatur; Et quidem à principio agente, quod ipsum hoc corpus *inhabitât*, administrata: Nullo materiali, sed pure formali, uti vocant, concursu, nempe *motu*.

CAPUT II. DE MOTU VITALI.

UTi meritò exploduntur, qui nihil nisi abstractas rerum qualitates speculantur, insuper habitis concretis, & cum materiæ natura immediatè connexis conditionibus propriis

prioribus; Siquidem contra ordinem impingunt, dum neglectis proximis causis specialibus, remotas generales inconvenienter amplexantur; Ita in eodem sane luto hærent, qui pariter perversa serie causarum, instrumentum alicujus actus, pro ipso statim effectu præposterè intuentur.

Fecerunt hoc hæctenus illi, qui *Motum* ipsum absolute pro *Vita* venditarunt. Ubi quidem non æque crassos illos philosophos respicimus, qui hic ipsum animale seu *voluntarium* motum, aut motum in genere, tumultuariis suis adumbrationibus in scenam prodixerunt; Sed illos etiam, qui ipsos involuntarios quoque motus, quos jam antiquitus vitales dictos habemus, sine discrimine, & immediate, *Vita* ipsius loco ita *συνόνυμωσ* nobis offerunt, ut ipsos hosce motus *Vitam* esse, nobis persuasum veint.

Hæret enim statim, ut loquuntur, aqua, simulatque, ex hac sententia perquiratur, quam ratione, quo causandi modo, *Motus* possit *Vita* esse?

Ubi quidem alii motum concretum, seu movens suum materiale, *spiritus* intelligo, ita hic ingerunt, ut ejus activitate, motoria tamen, sanguinem & totum corpus in perpetuo vitali actu, & quasi fremitu, servari supponant: Ut sanguis quidem & reliqui humores, ab hoc inquieto momente, in perpetua tenuitate & fluxilitate; solidæ vero partes, molliores quidem, indebita flexilitate, duriores in debita firmitate, conserventur.

Unde quidem adeo solennes istæ imputationes, modo *defectus* spirituum, quando vitalium actuum potiorum eclipsis quædam contingit: Modo *nimia*, & quidem turbulenta, & tumultuariæ exagitationis, quando dicti motus præter consuetum, solito magis *aucti*; atque intensi observantur. Ubi tamen utrinque summæ difficultates, reales
 aff: n-

affensum diffuadent; Nempe in repentinis motuum defectibus sæpenumero nuda *animi* perturbatio totum tumultum, seu potius defectum ita immediate inducens, ut nullus ipsius nexus cum quantitate *spirituum* intellectui hinc occurrat: In illis vero vulgo sic dictis tumultuariis commotionibus, nihil profus occurrat, quod non vel cum ante dicta *animi* pathematum concitatione, justum, & minime tumultuarium aut turbulentum, nekum vel successum habeat: Vel plane ad reliquam corporis physico-mechanicam constitutionem & œconomiam, ita evidenter sese referat, ut frequentissime *utilem*, sæpenumero etiam *necessariam*, œconomiae corporis sublevationem ita inferat, ut creberrime plane specialiter, ad minimum vero generaliter ex usu esse, evidenter compareat.

Unde quidem, cum hæc motus efficaciam, ad vitam constituendam nimis obscuram atque conceptui impeditam existant, merito, imo necessario perquirendum restat, quam alia via, & quo specialissimo actu atque exitu, *motus* effectum illum edat, ut mixtionem corporis ejusque humorum, à corruptione, in quam propria sua indole proclives sunt, *conservet*.

Quod ipsum quidem, si recte peruestigetur, demonstrabit, quod non modo ipse *motus* in genere, aut aliqua ejus species, seu certus quidam motus, quomodocunque demum appelletur, *non sit vita*; sed quod ipse motus, quicumque demum in genere aut in specie, ne quidem instrumentum *immediatum* vitæ existat: Nedum ut *primaria* seu principalis efficientis causæ titulum atque dignitatem mereatur.

DE VERA INSTRUMENTALI
RATIONE VITÆ, CORRUMPENTIUM ET COR-
RUPTIORUM PERPETUA TEMPESTIVA
EMOTIONE.

ITa utique comparata est, *mixtionis* totius corporis anima-
lis, specialissime vero *sanguinis*, conditio, ut non modo
corruptioni admodum obnoxium atque expositum existat;
Sed & sanguis specialissime, etiam naturali serie, sensim e sua
mixtione iterum excidat atque fatiscat, dum videlicet e cras-
siori sua compositione, in tenue acre *serum*, cum paucâ mu-
ciditate falsum, biliosum, extenuatur atque dissolvitur.

Quamvis autem hæc naturalis & ordinaria ipsius
corruptio, ita adhuc comparata sit, ut statim & immediate
nullum gravem præcipitem effectum exserat; Siquidem ita
mediocri spissitudine muciditatis contemperata & obrusa
servatur, salis & bilis acrimonia, ut non ita propere nocere
valeat; Moram tamen diurnam, citrà ulteriorem, intimio-
rem & penetrantiorem corruptionem, minime patitur:
Unde si nocere non debeat, ut e corpore ejiciatur, neces-
sitas postulat.

Tanto magis necessaria est matura exterminatio
illarum corruptelarum, quæ magis *subtiles*, activæ, & præ-
cipites, ad *putredinosam*, fermentativam, cito late sese diffun-
dentem corruptionem, magis directe, & præcipiti impetu,
tendunt atque ruunt.

Omnia hæc e corpore quantocyus proscribi atque
eliminari, ita absolutæ necessitatis est, ut tolerantiam ipso-
rum non possit non ipsa *mors* immediate consequi; quam
nempe

nempe corruptionem hanc *formaliter* & *συνεχόμενος* esse, si nempe verè prævalet, superius notavimus.

Quemadmodum vero ipsi jam modo usurpati termini, eliminationis, exterminationis, proscriptionis, jamjam designant, quanam ratione *conservatio* hæc à corruptione præstanda sit, nempe *excretionem*: Ita simul memoriæ occurrere debet atque potest methodus atque modus, quo excretionem ejusmodi perpetrantur. Ubi videlicet statim succurret, esse hunc nihil aliud, nisi *motum*; mediante quo videlicet, primò ac veluti primario, totus ille actus excretionum, ratione *temporis* præsertim, in effectum deducitur; Ad quem nihil adeò positivè activum, sed magis unice subministrans, imò in respectu ad motum, potius passivum, conferunt *colatoria* organa, utpotè quæ non tam activè aliquid transigunt, quam passivæ cujusdam, & neutralis *tolerantia* modo, *transmittunt*, sive transire patiuntur, quia impedire non possunt, quin transitus iste fiat, si *modus* ad transitum adigens, activo suo concursu contingit.

Quæ quidem res, quod obiter hic monemus, in multis aliis physicis negotiis attendi atque expendi quam maxime meretur. Ne scilicet temerè *activitati* cuidam, seu positivæ reactioni adscribatur, quod tamen rectè confideratum, in se purè *passivum* est: Quale quid præcipue in negotio renisuum locum habet. Ita enim si v. g. lapis, centenarium pendens, collecto hominis mediocriter robusti nifu, manibus trudatur, movetur satis facile suo loco, citra ullam hominis injuriam aut læsionem: Si vero idem ille homo, uno præcipiti impetu tendendo, manum aut pectus contra hunc eundem lapidem allidat, maximam profecto injuriam, molestiam, imò læsionem manus aut pectoris penitiorum, inde incurret. Jam triviali hac philosophia suspi-

cio nasceretur, quasi hicidem lapis diverso tempore magnam aut parvam *activitatem renitendi* haberet, dum sub ultimo illo actu præcipitis insultus, nihil, aut longe minimum cedendo, imo insuper manum lædendo, majorem renisum exercere videtur: Quod tamen, quomodo cum sana ratione conspiret, facile apparet, quo vero alio fundamento nitatur, facile patimur, ut tandem, læpius moniti, melius declarent, qui volunt, sin minus, qui possunt. Nos ad nostra revertimur.

CAPUT IV.

DE VALDE DIVERSA POTENTIA ALTERANDI, ET EVACUANDI, IN OECONOMIA CORPORIS ANIMALIS.

Apprime certe ad scopum nostri propositi necessaria est specialis designatio hujus negotii, quod nimirum in œconomia corporis animalis, longe dispar sit potentia materias alienas, & crasi animali adversas, *materialiter* corrigendi & invertendi, mixtionem earundem & texturam corporaliter invertendi atque *transformandi*: Et plurimum ab hac differat, energia simpliciter *evacuandi*, nulla, aut exigua præcedente alteratione.

Cum enim insignis permutatio corporalis mixtionis atque craseos, præcipue quæ magis obtundentem, quam exacuantem effectum edat, vix usquam perpetrari possit, nisi per oppositionem alterius, & ut vulgo loquuntur contrariæ, corporalis *materia*; Ejusmodi vero materiarum nullus apparatus aut penus in corpore præsto sit, quæ *putredinosa-fermentativa* & corruptelæ energiam corporali efficacia obtundere atque invertere valeret: Sed potius universa massa humorum, ad subeundam, & passivè recipiendam
cor-

corruptelæ talis efficaciam, apta nata existat: Apparet proinde satis, quod ex hac parte spes nulla supersit, heterogenea, præsertim dicti generis, ex attenuatione & resolutione nata, & in ulteriorem tendentia, ullo modo *corrigen*di, invertendi, aut materiali corporali aptitudine, impetum atque injuriam illorum eludendi & subterfugendi.

Econtra vero, cum totum negotium nudæ, simplicis, *evacuationis*, efficienter, actu in se incorporeo, nempe *motu* peragi possit; Et quidem insuper ea convenientissima proportione, ut perpetuo indefinente successu, & materia corrumpens, & portiones successive corruptione in horas correptæ aut infectæ, ita successive ejiciantur, ut non modo, quia disseminatæ in tota massa humorum oberrant, adeoque uno solo imperu collectim extrudi non possunt, tamen hoc jugi continuato successu, excludantur: Sed etiam, si omnino in unum colligi, & conjunctim expelli possent, ut plurimum illud ipsum minus consultum aut tolerabile existeret, sed potius periculum inferret, ne major quantitas *corruptivæ*, aut *corruptæ* talis materiæ, confertim per teneiores vias adacta, unita vi, quacunq; transiret, gravem & potentem stragem ederet; quod minus persicere valet, quando sparsim, figillatim, atque minutatim, extenuatâ per ipsam distractionem efficaciam, ita successive educitur seu emovetur, atque ita à centro velut, in amplam circumferentiam dissipatur.

Et hæc ad *evacuandum* potius, quam ad subigendum atque invertendo *corrigen*dum, habilis œconomix animalis dispositio, adeo ad nostram rem attendi meretur, ut quandoque alienæ, nocituræ, nulla correctione compescibiles, materiæ, ubicunq; in corpore oberrant; Illarumque præsentiam, imo vero jam imminentem, ne dum incipientem,

tem, corruptivam efficaciam, *motuum evacuatoriorum* augmentum & promptior energia consequitur; *Utiliter* hoc utique, ad eliminationem & excussionem talis materiae, adeoque omnis mali necessariam averfionem, corporis vero conservationem, rectè atque justè ita fieri intelligamus, & non modo inutiliter, sed cum summo periculo, imò damno, rebus sic stantibus, neglectum iri, facile judicare possumus.

Manet itaque certum, & reddit hoc testatum universa attendita consideratio omnium in corpore fientium actuum vitalium, quod non nisi *evacuatione*, translatione ab una parte ad aliam, & ultimo exterminatione e toto corpore, humores corrupti, & illorum noxii effectus, arceri possint: Aut portiones ad minimum, ita corruptæ aut corruptivæ, e reliquo humore adhuc illibato, motibus ita exprimi, secerni, imo evacuari possint.

Cum e contrâ nullibi adeo evidens immediata *mutatio* materialis, humores in ipsa crasi sua afficiens, in sensus & conceptum cadat.

CAPUT V.

DE MOTIBUS SECRETIONET
EXCRETIONI HUMORUM DICATIS.

Placet methodo vitali insistere, & ipsos illos *Motus*, quibus hi effectus præstantur, historica veritate ob oculos sistere.

Sunt vero *Motus* illi, quibus humores ita promoventur generalissime I. *Pulsus* cordis II. *Tonus* partium.

Pulsu compelluntur humores universales, Sanguis, Lympha, Serum, per arterias, ad omnes & singulas partes corporis porosas, tubulosas, spongiosas; Imo juvat etiam

etiam non nihil, probabiliter ad minimum, successus pul-
 sium, etiam ad transpulsionem horum humorum per
 istos poros & meatus: Tantò certius verò juvat, ad *redu-*
ctionem humorum utilium, sanguinis venosi, & lymphæ,
 dum, summæ sanè admirationis simplicitate & artificio,
 vasa *venosa* & *lymphatica*, non modo *arteriis* ad latus quasi
 affixa, sed etiam communiter quasi vaginali quodam fib-
 roso involucre hinc indè conjunctim cum arteriis com-
 prehensa cernuntur, ut dum sanguis in arterias impetuoso
 illo cordis pulsa ita impellitur, ut hæc indè repentina expan-
 sione distendantur, premat hæc ipsa continua arteriæ ex-
 pansio, etiam venam & vas lymphaticum adjacens, ut con-
 tenti in his liquores eò ipso simul ad *refluxum* tuum impel-
 lantur: Qui quidem ex ipso situ horum vasorum tanto fa-
 cilius succedit, dum ab exilibus angustioribus meatibus ad
 capaciores, prompto utique progressu, movetur.

Meretur hæc Mechanica dispositio eximiè certe no-
 tari in ipso adhuc *ductu thoracico*, qui propterea præcipua
 sui capacitate, præsertim in brutis, ita arteriæ aortæ sub
 rene sinistro, & arteriis intercostalibus per thoracem, sup-
 positus est, ut non possit, quin eximia concussione singulis
 pulsibus afficiatur.

Impelluntur itaque humores, nempe sanguis, & cum
 eo lymphæ, & serum, *Pulsu* ad omnes partes porosas. Per
 harum poros patentiores, transeunt saltem; per arctiores
 verò dirimuntur & discedunt à se invicem, ita, ut *serum*
 præcipuè, imò etiam *lymphæ*, à sanguine strictè sic dicto, hac
 ratione dilabantur: Quandoquidem crassissimus quidem
 ex his est sanguis, lymphæ mediæ, serum ultimæ tenuitatis.

Ipsò verò illo impulsu, apprimitur utique hæc humo-
 rum miscela ad has partes, ut hac ratione, inter hanc pres-
 suram,

furam, tenuiores portiones altius adactæ, crassiores post se relinquunt, adeoque *secretionis* initium fiat.

Tonus, imo *motus* tonicus, partium, est alterum illud insigne subsidium, quo appulsorum humorum non modo intimior *ingressus*, proportionate admittitur, & veluti acceptatur: Sed etiam ulterius, ad *transicum* usque continuatur & promovetur, ita ut subsequenti etiam cuique appulsui, idem successus atque eventus jugiter pateat, neque ulla laboriosa remora novæ illi portioni obstet.

Speramus non egere hoc negotium nova proluxa deductione, cum à Dno D. Præsidente, innumeris illis præmonstrationibus & demonstrationibus, tandem utique perrogatas esse sententias, complurimum solertissimorum Medicorum asseverationes, fidem facere videantur.

Interim uti *motus* hujus in genere evidens & simplicissima elucescit certitudo; Ita eximiè prorsus notanda est, generalis illa duplex ejus administratio sive *directio*, secundum diversas corporis regiones cardinales, *interiorem*, & *exteriorem*. Quæ quidem res tanto magis hîc prælibari debet, quando quidem non modo in variis aliis hujusmodi solennioribus secretoriis actibus, admodum evidenter sese exerit, sed eminentissime hoc facit & sese offert in nostro, *febrium* negotio, & ibidem præcipuarum quarundam, variis modis in sensus incurrentium alterationum, fundamentum constituit.

Neque vero minus attendenda est *directio* quoque ipsius hujus tonici *motus*, *specialior*, aut ad specialiore tamen locum & scopum, colligens & adigens modo *secretiones*, modo, & præcipue illud quidem, *excretiones*. Ut scilicet hoc *motu*, tanquam facili & prompto remedio illud peragatur, quod *pulsu*, uno & generali actu, nullas speciales parti-

particulares directiones formare valente, impossibile erat, ut nempe secretiones & excretiones certæ speciales, præfenti certæ *speciei* excernendorum humorum respondentem, certo *loco* non solum, sed etiam certo prorsus & iusto *tempore*, in effectum deducantur.

Quod quidem ita fit per partium transmittentium & emittentium *tonum* proportionate administratum, ut partes quidem tales ad proportionate admittendum & emittendum *relaxentur* atque parule reddantur; Vicinæ vero, aut conjugatæ, imo universæ reliquæ, contra, ita *stringantur*, ut humores ab his ad illam, quæ excrementum emittere debet, undiquaque proprimantur, & magna copia, atque brevi tempore ibi excrementa sua dimittere possint.

CAPUT VI.

DE MOTUUM HORUM SUCCESSIVO MODERAMINE, AD SECRETIONES ET EXCRETIONES EFFICACITER PERAGENDAS.

Simplicissimum utique est illud axioma Mechanicum, quod *nihil moveri debeat, prius, quam sit mobile*: Valet hoc certe quam maxime in motus humorum negotio.

Cum enim humores, præcipue sanguis; deinde lymphæ, tandem & serum, quatenus mucidam substantiam in se continet, sint consistentiæ *coagulantis* & *lentescentis*, e qua tenuiores fluxiles aqueæ partes, ita immediate dilabi non possint, sed potius crassiorum motuo nexu irretitæ & implicitæ obhærescant; opus omnino est præ via sufficiente *concussione*, cujus ope nexus ille crassiorum partium ita divellatur, ut teneriores, inter ipsas & ex ipsis, libere sine impedimento fluitare & excedere possint.

Requi-



Requiritur ad hunc scopum, non solum in genere *conussio* divulsoria; sed in specie assidua, repetita, imò tamdiu continuata, donec rectè subacta sit universa massa, ad dimittendam tenuiorum illorum excrementorum tantam quantitatem, quæ operæ pretium faciant, & hinc corpus notabiliter, exoneretur, adeoque sensibiliber sublevetur.

Conquassatio illa, & concussoria attenuatio fit efficaciter, per transpressionem fortem talium liquorum, per instrumenta multis rigidiusculis quasi filamentis instructa, inter quæ plurima interstitia pateant, per quæ liquor, allisu & pressione illorum filamentorum veluti *disruptus*, partim transeat, partim novis statim occurribus similium collisoriarum fibruarum, iterum iterumque ita atteratur, atque concerpatur.

Habemus rei specimina & exempla, etiam plebi nota, & æconomici quotidiani usus, quando v. g. *albumen* ovi tenax & spissum, in aqueam fluxilitatem conquassatur; *Sanguis* animalium, concussione cultri, cochlearis, ligni fistucæ, donec refrigerescat agitatus, fluidus redditur & servatur, atque à densa concretionem impeditur, imò jam coagulascens, iterum in fluiditatem revocatur: *Vinum* pendulum & mucescens vegeta scoparum agitatione, tenue prorsus & fluxile iterum redditur &c. quod quidem in omnibus & singulis his subjectis, ad ultimam usque exquisitissimam extenuationem perpetratur atque perficitur, transpressionem multi jugà per *spongiam*.

In corpore animali verò, fit similiter, transpulsione illa per *spongioso-fibrosas* partes, præsertim musculosas. Ubi quidem impulsus, Pulsu factus, allidit & illidit hos humores fibris harum partium, tonico motu proportionatè rigescentibus; Imò momentaneo toni augmento non modo firmitus

firmius rigescantibus, sed simul illatum jam modo humorem, fortius inter se mutuo impellentibus & transpellentibus. Unde resolutio coagulantis ipsius densitatis obtigit; quamvis non una quidem æque simplici tali transmissione, sed pluribus tamen, sæpius atque fortiter repetitis.

Imò divelluntur hac methodo, non modo nudè & simpliciter, humorum particulæ crassiores, & impediuntur, ne otioso nexu inter se invicem conquiniscant atque intricentur; Sed extenuantur revera, longo illo & jugi *atritorio* conflictu, ultra suam propriam præsentem parvitatem. Adeò quidem, ut è sanguineis crassioribus fiant *serose* teneræ & satis promptè fluxiles, tantæ utique tenuitatis, ut loco spissæ & quasi nigricantes densitatis, quam ante hac formabant, jam satis fluidum & *diaphanum* liquorem repræsentent.

Qua quidem ratione non solum heterogeneorum nudæ secretioni & excretioni velificatur hoc motuum horum moderamen; Sed confert etiam ipsorum humorum *quantitati* imminuendæ, ita videlicet, ut ipsos, in propria sua consistencia ad excretionem idoneos, longis his concussionibus ita denique subigat atque præparet, ut per organa secretoria, ad emunctoria commodè transmitti possint.

Quemadmodum verò ad nudam illam *concussionem*, quæ tenuissimis partibus dimittendis sufficiat, tam diuturno & continuo, motus ejusmodi transpressorii imperu, non æque opus est, sed etiam brevior, & satis levior, hoc perficere possit: Ita contra ad posteriorem illum scopum, nempe crassiorum quoque particularum propriam resolutionem, longè & vegetior & diuturnior requiritur impetus; Siquidem hic non solo illo superficiali attritu, quem verè minimum hinc posse censemus, negotium absolvitur, sed partium

tium sanguinis constitutarum, divulsione e nexu suæ *mixtionis*. Unde videlicet etiam deinde resultat tale productum, quod non modò in genere heterogeneas partes contineat, sed in specie tales, quales sunt *constitutiva sanguinis*. Cujus contrarium evenire deberet, si potius *superficialis* æqualis abrasio recentiorum hic subesset.

CAPUT VII.

DE SOLENNIORIBUS SECRETIONUM ET EXCRETIONUM MATERIIS.

Sicuti in corporis animalis consideratione illud antiquissimum habemus, & pro primo fundamentali canone atque axiomate urgere solemus: Non tam quid fieri *possit*, quam quid fieri *soleat*, attendendum & perpendendum esse; Ita & ordine primum, & dignitate primarium hujus thesæos exemplum, habemus ipsum sanguinem.

Miraculo certè potius proximum, quam physicæ scientificæ cognitio proclive & dilucidum apparere hoc debet, omnibus, qui finium considerationem in physicis non condigne æstiment, adeoque habitum & proportionem mediorum ad illos fines destinatum pensitare negligunt, quod *sanguis* in propria sua essentia atque consistentia sit *materia* promptissimæ *corruptioni tota exposita*, & tamen *non actu* in illam prolabatur, sed adeo efficaciter illam subterfugiat, atque eludat.

Neque multo minus durum creditu atque conceptu talibus apparere solet, quod in corporibus quàm maximè *sanis*, atque adeò illam purè *Mechanica necessitatis* suppositam rationem habentibus, in quibus proinde nihil temerè extrà proportionem materialiter evenire deberet, nihilominus facillimè, imò veluti ordinariè, multò plus sanguinis generetur

tur atque coacervetur, quàm non modò ad usum suum necesse sit, sed ne quidem periculo careat, & proindè tolerari possit.

Hæc fanè sunt duo illa familiaria atque solennia exempla, quæ *vitalium motuum* non nudè *Mechanicas*, sed prorsus *organicas*, præsentis temporis necessitati adaptatas, moderationes, directiones, subordinationes, alternationes, repetitiones, præsentì proportioni rectè quadrantes atque respondententes, requirunt & exposcunt.

Primum horum, nempè *recrementitarum partium secretio & excretio*, est utique *primarium quoque motuum horum objectum*, adeoque partes hæ ejusdem *subjectum*. *Resolutio* verò sanguinis in *serum*, quâ etiam tota quantitas ejus successivè ita imminuitur, uti secundùm naturam, non est, nisi veluti nudè *accidentalis effectus* horum motuum: Ita non facile, nisi facta insigni commotione & exacerbatione, directè, atque datâ veluti operâ, suscipitur auctiore gradu atque impetu. Sed peragitur ferè magis *voluntariis* motibus, quamlibet alia propinquiore intentione susceptis.

Sicuti verò corruptio illa, in quam sanguis adeò *proclivis* est, simpliciter & directè, nulla est alia, quam *putredinosa*; Ita tantò justius suscipiuntur horum *conservatoriorum* motuum augmenta, quando majus hujus corruptionis periculum, & major *materiæ* talis proventus, ingruit. Quod quidem adeò verum est, ut etiam, ubi *particulares* hujus generis occasiones ingruunt, ibi *particulariter* motuum horum intensio mature opponatur.

Ut adeò, rem veluti strictissime complectendo, *materia* horum motuum *secretoriorum & excretoriorum*, quatenus talium, sint partes in sanguine subnatæ, vel in ipsa *illatæ*, *putredinosa corruptioni* vel active vel passive, admodum

dùm expositæ; Aut ad minimum *colliquativa* sanguinis & molliorum partium dissolutioni introducendæ pares: Cujus posterioris generis sunt præsertim ordinaria *serosa* recrementa, *salina, biliosa, halituoſa*, orgaſtica seu spumefcentia & *fermentefcentia*: Prioris verò generis, sunt vel ex nuda *stasi coagulati* sanguinis oriens putredinosa corruptio: Vel alibi nata, ex uno corpore in alterum inſinuata, putredinosa-fermentativa *contagioſa* corruptela.

Quamvis autem dixerimus, & res etiam sic habeat, quod *motus* sanguinis non æque directè ad dissolutionem compagis ejus, secundùm naturam ſuſcipi & inſtitui ſolet; Diluceſcit tamen ad minimum efficacia illius ad hunc effectum, ex illo non naturali ſolemniffimo actû, quod voluntarios vehementiores motus sanguinis, per laborioſos ſive *operoſos* motus corporis, ordinariè ſequatur longè copioſior *appetitus*; ita quidem, ut copioſorum alimentorum aſſumptio, etiam neceſſaria hic ſit, &, niſi actû laborioſos motus frequentiores excipiat, actualis extenuatio, defectus ſufficientis sanguinis, & viſibilis vaſorum inanitio, conſequatur.

CAPUT VIII.

DE VIIS ET ORGANIS SECRETIONI ATQUE EXCRETIONI HARUM MATERIARUM DICATIS.

Quod ſparſim & ſatis implicitè vulgò hinc inde ab Autoribus indigitatur, atque adeò juſtam ſui conſiderationem hucusque nondum obtinuit, non magis tangendum, quam curatius, breviter tamen, deducendum in rem noſtram erit; Eſt hoc verò, *doctrina de uſu partium corporis exteriorum & interiorum, ad ſanguinis conſervationem & depurationem.*

A pau-

A paucioribus, quod nos quidem meminerimus Autoribus pertractatur iuxta evidenti *ἀνεπιβέβητα*, utilitas, in:ò necessitas *transpressionis* sanguinis per partes *porosas*, musculofas, totum *externum* corporis habitum, magnâ copiâ & mole constituentes. Distribuuntur ad has partes *arteria*, tanta magnitudine & numero, ut præ illis quicquid ad internas partes protenditur ramorum arteriosorum, immensum quantum minimam partem in proportione constituat.

Magnam hanc sanguinis copiam, quæ hac ratione ad *porosum* hunc habitum distribuitur, saltem ad nutritionis scopum huc pergere, tanto minus quisquam sibi persuaserit, si rectè intellexerit, quod *sanguis minime nutriat*; Sed *lymphæ* tantum, cum sanguine ad partes dispensata. At verò sanguinem saltim propterea adeò copiosum huc propelli, ut *lymphæ societatem* præstet, quis facile conceperit?

Neque verò alter ille sanguinis usus, à nobis maximè agnitus, sulphureo-calorifica sua efficacia, partium solidarum mollium nimiam *bumescenciam* arcendi, & in *sicciscentie* tenacitate ipsas conservandi, quamvis eximius est, tanti tamen nobis non est, ut propter illum solum, tanta, imò ferè tota, sanguinis moles, ita copiosè & operosè huc derivetur.

Sed subest utique ille, ipsi quoque sanguini eximie necessarius insignis usus, quod ipse sanguis spongiosâ hac harum partium constitutione, & forti sanguinis per ipsas transpulsi, tum concutiendo attenuetur, tum ad superficiem usque, & quæ hanc undique involvit, densam, & tenuissimam solum porositate instructam, cutim, appulsus, *tenuissima aquea* sua corpuscula, ad ipsam usque veram superficiem emittendo, ubi in vaporem & halitum resoluta, in auras exhalent, ab eorundem abundantia ita exoneretur.

Neque verò aquea solum, sed etiam *salino-sulphurea* tenuissima vaporescentia corpuscula, emittuntur hac eadem via, larga sane quantitate, & successu non minus facili, quam proportionato.

Per *interiora* verò organa, *hepar* & *lienem* præcipue, separantur partim, partim disponuntur ad separationem, *biliosa* & *salina* recrementa.

Profectò, sicuti Veteres minime male observarunt, quod notabilia vitia *hepatis*, *urina* consistentiam atque successum plane sensibilibiter lædant; Ita nusquam adhuc ullam rationem, quæ clarum conceptum formet aut admittat, inventientes, perpendimus ipsimet circumspicius totum negotium, & deprehendimus, quod præcipuum officium *hepatis* sit, secretio laudabilis *lymphæ*, & *bilis*, à sanguine & fluidiore sero. Unde quidem si *lymphæ* γλυσχηρὸς non ita subinde à *salsò* sero sequestratur, sed cum ipso perpetuo confusa manet, prognaescitur hinc *mucido-spissa* utrorumque concurrentium & coalescentium consistentia, qua *salina* *urinariæ* substantiæ, transitus per propria sua colatoria, nempe *renes*, necessario mirum quantum imminuitur atque impeditur, ut non nisi minima quantitate secedere possit: Et præterea quidem, vel maxime *tenuis*, vel valde *salsa*, colliquefcente nimirum denique per longam moram *salsædinis* diu irretitæ substantiæ, sed in valescente tunc simul velut universali ejusdem prædominio: Unde hunc statum pro deteriore & magis deplorato habere solent Practici, & experiuntur fere infallibiter hecticæ colliquationis complicationem.

Per has vias, partim *internas*, partim *externas*, fiunt citatæ illæ secretiones & excretiones, *motu* sanguinis, *lymphæ*, atque *seri*, cum sanguine, ad & per has partes; Et quidem universum hoc continue & indefinenter, ad *depuratio-*

nem horum humorum & totius corporis, per tempeſtivam, ſucceſſivam exonerationem, tenuiorum valde mobilium & valde moventium corpusculorum, quæ intimam *difſolutionem*, præcipue *putredinoſo-fermentativam*, mixtioni animali, ſanguinis, & reliqui corporis, inducere, adeoque corpus ſunditus evertere poſſent.

SECTIO II.

Pathologica.

De indole Materiæ illarum, quæ cauſæ febrium fieri, ſeu, febres provocare ſolent.

CAPUT I.

DE CAUSIS FEBRIUM IN
GENERE.

Sitraditiones ab antiquiſſimis temporibus continua ferie continuatas atque propagatas, ſine præoccupatione expendimus, in multis reverà videmur nobis aliquid in venire, quod, ſi non fidem, non injuſtam tamen ſuſpicionem, facere poſſit, quod prima aſſertio horum generum, non temere & abſque omni veritatis ſuffragio, formata fuerit.

Viderur nobis ſane præcipua hujus generis eſſe illa pathologia, quam circa *februm* cauſam, ab antiquiſſimis, quod ſciamus, temporibus, ad noſtrum propemodum ævum deduxerunt ſcholæ Medicæ, quod nempe cauſa februm ſit *putredo*.

Licet enim circà exornandam, & ſpecialius explicandam & applicandam hanc aſſertionem, operoſiſſimo illo ſuo

fuo labore, nihil prorsus perfecisse, ego forte si quisquam, facile largior & consentiam; tamen quoad ipsam rem in genere, nequaquam cum illis facio, qui totam hanc sententiã reprobant, & dum recte quidem *actualement* putredinem negant & agnoscere non possunt, omnem omnino, imminentem etiam & paulatim incipientem, oppugnant atque damnant.

Fermentatio certe, quàm in locum putredinis substituent, cum recte intelligendo ab hac non differat, nisi uti genus à specie; Si vero specialissime sumatur, in corpore animali, utpote ad aliam, quam *putredinosam* fermentationem non disposito, locum plane non invenit: Ita non majore certe probabilitate, nedum ulla evidentiã, ex illa deducuntur circumstantiã, & ut vulgo vocant *symptomata febrium*, tanquam effectus directi & *mechanico-physici*, cum accuratius perpendendo atque comparando, non sint, nisi *morales*, i. e. non ab illis causis, sed *propter* illas, fiant.

Constituimus itaque omnino nos quoque pro causã febris in genere, materiam, quæ serius ocys valde remote aut valde prope, *putredinoso-fermentativam* corruptionem atque labem, parti alicui vitali ita incutere atque affricare possit, ut illa brevi, aut longo tempore, *putredinis* periculum, sive in se, sive in trà se, inde incurrat. Imo, sive illa immediate huic periculo ita exponatur, sive per ipsam aliã adhuc nobiliores.

Et hæc putredinis hujusmodi omni modo præoccupandã & anticipandã necessitas, possit, ut *motus* illi, quos *febrim* appellamus, non modo suscipiantur, adeoque febris fiat: Sed etiam ita suscipiatur, uti *gradus activitatis* in materia putrefaciente, & *gradus receptivitatis* in parte illi exposita, id ipsum postulare apparent, unde nempe *species* febrium nascuntur.

nascuntur, chronicarum, acutarum, acutissimarum: Continuarum, aut otiosiorum intermittentium.

CAPUT II.
DE CAUSIS FEBRIUM IN
SPECIE.

UT ab harum *gravissimis* initium faciamus, adeoque eo ipso veritatem nostræ sententiæ, de indole harum causarum, confirmemus, videmus ante omnia in *Peste & febribus pestilentibus*, quod non modo materia illarum summè tenuis existat, utpotè quæ invisibilis *vaporis* forma vagans, ab vno corpore in aliud sese insinuat; Sed etiam in illis corporibus, in quibus efficacia sua vincit atque exsuperat, manifestissimè *putrefactivum* effectum exerat: Quod non modò facit in corporibus *mortuis*, quæ præcipiti prorsus putredine ita corrumpit, ut etiam pleraque ipsorum, ne quidem rigorem illum emortualem subeant, qui alias mortem ordinariè subsequi solet, sed statim prævalida putrefactionis efficacia, in *spumidam inflationem*, à verâ fermentatione putredinosa, & præsentissima quidem, pergant.

Non, inquam, hoc solum; Sed exerit sese hoc idem etiam in *vivis* adhuc, pestilenti corruptela intimius penetratis corporibus; quando alicubi arctius collecta pestilens hæc materia, præcipuè verò partibus *musculosis* impacta, *anthracem* format; i. e. tumorem immediatè in *Gangranam*, & citissimè in *spbacelum* præcipitem, i. e. in veram non modò, sed etiam in hoc quidem genere agilissimam, & summè fermentescentem, tenuissimam *putredinem*. Sicut etiam, quibus funesto quodam accidentali motu ad *interiora viscera* malum hoc fertur, illi *putridis*, *nigris* dejectionibus non modò

modò humores putrefactos, sed viscerum prorsus colliquamenta, hâc viâ dejiciunt.

Non ita summè maligna, sed tamen non nisi gradu differens corruptela, exhibet sese in ipsis *Variolis*; Sicut enim illam materiam, quæ *suppurationibus* fornitem præbet, non nisi follicita naturæ Mechanicæ & machinatione, in pus converti; Sibi verò relictam, directè in sphacelum seu *putredinem* tendere, alibi (Disputat. DE VERÆ INFLAMMATIONIS PATHOLOGIA,) deduxit Dn. D. Præses, ita sanè *Variolarum* materiam, quæ non nisi eximio labore Naturæ in pus redigitur, ex se, & propria indole, *putredini* potius initiatam esse, monstrat ita res ipsa, ut etiam inter aut *suppurationem* aut *mortem*, nullum plane detur medium.

Reliquæ *contagiosæ* febres, quamvis gradu activitatis hîc utique differant, quia tamen denique ad unum omnes hoc commune habent, ut corpora prævalido ipsorum impetu enecta, fatis citò & impetuose *computrescant*, sistunt nobis hoc ipso luculentum testimonium, de *putredinoso-fermentativa* sui energia.

Quibus cognita est Praxis Medica, facilè, uti certissimus, nobiscum consentient, quod post *pestilentes* febres, nullæ sint certius deleteriæ, quam *inflammatorie*. Adeo quidem, ut hoc non tam solum in *viscerum* nobiliorum inflammationibus, quando ita prævalent, ut suppurationem subire necessè habeant, verum deprehendantur: Sed etiam in partium externarum, vulnerum graviorum symptomatice profundis inflammationibus, haud multò minùs periculi inferat, quod semel prævalentes *febres vulneraria*, abundè monstrant.

At verò omnium harum februm materiam viscerum, inquam *inflammationes*, nihil aliud esse, nisi ejusmodi *inmi-*

imminentis *putredinis* inchoamenta atque rudimenta, verbo, materiam *putredini* expositam, siue ut scholæ loquuntur, *putredinem materialiter*, monstratum est evidentiùs in suprà allegata *pathologia inflammationis*.

Biliofas febres, verè tales, vel *cholericæ* esse, vel, dum in intestinis intimiùs detinetur acerrimum biliosum colligamentum, gravissimè inflammatorias, (Veteribus typhodes, leipyrias, syncopicas, singultuosas) monstrant, & prægressæ, & conjunctæ, causæ atque circumstantiæ; cholericæ autem illas *causticam* talem materiam in intestinis pro fomite habere, quæ, nisi maturè evacuetur, gravissimè adurere atque corrodere intestina possunt, testantur *ardores* & excoiationes insignes, quæ partim in *faucibus* ab ejus generis vomitu, partim, in *intestino recto*, ab ejusmodi diarrhœis, utrinque à temporario brevi saltem transitu, sentiuntur.

Undè non modò harum quoque febrium *materialis* causâ, dispositio proxima ad *putredinem* esse apparet; Sed ex erit sese hoc etiam tanto evidentiùs, in harum, & affinium *erysipelacearum, petechialium, dysentericarum* febrium specialissimo, sed familiarissimo, accidente, *prunella* & *aphtis*, non magis inflammatoria, qua *Gangrenode*, indole conspicuis.

Hætica febres, uti, rectissimè certè monente (dummodo sana interpretatione potius in bona causâ juvetur, quam inani Autoritatis vindicatione obturbetur) *Secreta*, communissimè pro causâ continente agnoscunt, vel actua-lem *ulcerationem* internam, vel *scirrhosam*, in ulcerationem quasi indies propensam, constitutionem alicubi in visceribus; Præcipue verò in visceribus, multi sanguinis accessui patentibus, *Pulmonibus, Hepate, Liene*: Ita, cum talis constitutio, in talibus locis, *inflammatoria* exacerbationi indies expo-

fita fit, i. e. secundum veram pathologiam, *corruptionis putredinose* periculo (quod non nisi inflammatoriâ machinatione aliquandiu oppugnari possit) obnoxia: Fit in *putredinem* proclivis talis constitutio, hâc ratione causa hujus generis lentarum, continuarum, & perpetuarum Februm.

Intermittentium februm causa, uti in *primis visis*, ventriculo, intestinis, pancreate, & glandulis, hepate, liene, præcipue hæret; Quantum præsertim ad partem paroxysmi illorum *borridam* attinet: Ita habent non modò *longinquam* dispositionem ad corruptionem, vel intra has partes contentæ alicujus materiæ, vel ipsius partium harum substantiæ: Sed nascitur ipsis, præcipue horridioribus, & diutius horrentibus, materia, ad stasin, & proinde eventuram corruptionem, non apta modo, sed illi planè expofita, nempe spissitudo sanguinis, à diuturna ejus coacervatione circa interiora capaciora vasa, imò ita restagnantis & spissescents inde sanguinis, impactio in ipsa penitiora viscerum penetralia. Undè fortis talis expulforius morus, ad & per partes porosas totius externi habitus, necessarius omninò est, ut sanguis coacervatione hac diuturna, & velut incarceratione coagulascens, denuò sufficienter attenuetur, adeoque ab omni dispositione ad mediatum eventum putredinis, iterum liberetur. De quo negotio & mente nostra evidentius percipienda, videri poterit Dissert. D. Præsidis de *Asia Maris microcosmici*.

Synocha febris causam, nullam esse *putredinem*, nempe *actualem*, non magis Veteres, quam nos quoque statuere & agnoscere convenit. Interim, ut nos quoad modum operandi illius *putredinis*, utique tam à veteribus, quam à recentioribus, quoad modum operandi fermentationis ipsorum, plurimum dissentimus, dum non ut hi utrique, *physicum*, aut
Meccha-

Mechanicam effectum hujus putredinis, febres esse, consenti-
re possumus: Ita, cum nobis potius videatur, quod totus
morus febrilis, non modo *propter*, sed in specie *contra*, cau-
sam illam, imò *contra efficaciam & effectum* ejus inferi, susci-
piatur: Convenientissimum utique esse apparet, quicquid
ad averendum talem effectum destinatur, non differri, do-
nec materiae copia, ejusque actualis energia valde invale-
scat: Sed rectius, *praecipuando* potius institui, adeoque mate-
riam potius subtrahi, antequam formam suam nata sit, ubi
aut non, aut longè difficillimè, expugnari possit.

Ita enim omninò est, & interest, nostra, ut hoc firmi-
ter stabilitum habeamus, quod *putredinem formalem*, tota
oeconomia animalis non modò corrigere, i. e. è sua priva-
tione ad pristinum habitum immediatè restituere, minimè
valeat: Sed etiam rem ita impossibilem *tentare*, aut moliri,
nullo modo suscipiat, aut ullas eò tendentes actiones firmi-
ter, & data verè opera, sibi proponat: Sed potiùs, quasi se-
cundum rationem, ubi nullus finis obtinendus apparet,
etiam actiones, tanquam media ad illum tendentia, negli-
gat & omittat.

Undè nostra acceptio *putredinis ut causa februm*, de
imminente, aut non nisi leviter & minutatim adhuc incipi-
ente, & anequam copiosè, adeoque insuperabiliter invale-
scat, maturè praefocanda, omnimodè intelligi debet: Siqui-
dem, si *contra* fiat, ut otiosè, aut insufficienter, praè valenti
corruptioni, successivis illis languidioribus motibus & mo-
liminibus, occurratur, tunc demum physico-Mechanica
necessitate *mortem* potius subsequi, i. e. nihil adversus illos
effectus effici & obtineri, firmiter utique statuimus, & lu-
culenter agnoscimus.

Interim ut ut hæc omnino nostra sit mens de *putre-
dine*

dine in uniuersum, tam leuiorum, quam gravissimarum februm causa; Superest tamen utique omni modo consideranda etiam illa aucti motus sanguinis energia physico-Mechanica, quâ compagis & mixtionis ejus *colligatio* & *dissolutio*, verbo, sanguinis in serum resolutio, perpetratur.

Quo maximè respectu, *synocha* febris materiam esse sanguinem in signiter *abundantem*, nos si quisquam alius, agnoscimus, & admittimus; Sed tamen non ita! absolute & nude ut *abundantem*: Sed potius propter nimiam abundantiam suam in propinqua, aut proximâ potentia constitutum, tam ad *stagnandum* & *coagulascendum*, quam è stasi & *coagulatione*, in *putredinem* prolabendum.

Unde huc maximè spectant illa, quæ partim à Dn. D. Præside, in Propempt. de *Commotionibus sanguinis activis & passivis*; partim in Disputat. de *Vena Sectionis Patrocino*, sub ejus Præsidio, cap. de *Pletborâ* dicta sunt: Quod videlicet non nude & absolute sanguis abundans, sed sanguis sub qualicunque abundantia, tantò magis verò sub insigni, vehementius aut sæpius commotus, & ad irruptiones penitiores, infarctus, incarcerationes, stases corruptionem, vel in proxima potentia, vel jam aliquibus specimenibus, adactus, sit illud, quod necessàrio, propter imminens periculum imminui debeat.

Idque vel nuda arte, Venæ sectione, aut simili arbitraria sincera *evacuatione*; Vel pari naturæ molimine, per *hemorrhagias*: Vel non naturali, & in hoc quoque genere veluti quadantenus artificiali, resolutione in serum & consumptione, per voluntarios corporis motus: Vel simili, per *febrilem synochum* fortem motum.

Et hoc uniuersum *finaliter*, ad præoccupandum & averruncandum euentum, serius ocus, imò verò propius, impen-

impendentem, impediti successus, staseos, corruptionis putredinosæ ejusdem.

Qua quidem ratione, rebus uti ita revera sunt, non modo recte observatis, sed etiam convenienter pensatis confidimus omnes, quibus recte comparandi atque subsumendi habitus & promptitudo suppetit, facile nobiscum facturos esse, quod causæ febrium sint materia talis, quæ mixtionem sanguinis & reliqui corporis, intima & penitissima corruptione, putredinosa-fermentativa evertere valeat: Idque vel propinquiore, præsentissimo actu, incipiendi, & pluresequendi: Vel tardiore, longinquiore, plus inò quasi plurimum, mediato, sed tamen iusta consequentia ultimo ad hunc finem terminando. Unde etiam tali materiæ, & actui ejus, antequam in effectum transeat, vel ad minimum antequam copiosè & prævalide hoc faciat, occurrendum & resistendum sit: Ea tamen utique proportione, quam efficacia ejus magis vel minus præsentanea, poscit & admittit.

CAPUT III.

DE GENERALI FEBRIUM CONSTITUTIONE ESSENTIALI, SIVE ESSENTIA FEBRIS IN GENERE.

Si febrim, in se, abstrahendo à causa ipsius materiali, consideramus, deprehendimus satis utique manifeste, quod consistat, in variis insolitis modificationibus motus sanguinis circulatorii; præcipue tamen in augmento seu acceleratione, & speciali directione ejusdem ad certam regionem, aut specialiore partem, secretionibus præcipue & excretionibus definitas.

De circulationis, quatenus Pulsu absolvitur, modificatione, neminem arbitror superesse, qui dubitet. De directione



reſtione verò illa ſpecialiore, quæ *tonico motu* abſolvitur, nihilo magis dubitatu-
ros eſſe confidimus, quicumque prolixas illas, & variis ſchematibus repetito non magis adumbratas, quam demonſtratas, deductiones D. Præſidis circa hanc materiam, attento & nihil præoccupato animo legere voluerunt, & intelligere potuerunt.

Sicut enim jamdudum monuit, quod univerſam illam demonſtrationem, de *motu* hujus *tonici* exiſtencia & efficaciâ, præcipue ad verum & dilucidum conceptum, de *depuratone ſanguinis*, & hinc nominatim ad *febrim*, tanquam hujus generis præcipuum ſpecimen, ſulceperit atque direxerit, quod nominatim in iſtis frontiſpiciis Diſſertationum de *Mechaniſmo Motus Sanguinis*, & *Æſtu Maris microſmici* factum eſt: Ita neceſſe omnino eſt ad recte perſpiciendam veram februm indolem, ut *motus* hujus *Tonici* multiplex concurſus in iſdem, vel propterea tanto exquisitius notetur, quia non modo pleraque, ſed præcipua præſertim, & ſi male cedat, graviffima quæque, ut vulgò dicuntur ſymptomata, horum *motuum* ſoboles atque effectus exiſtunt.

Ut adeò *febris in genere*, ſecundum cauſas ſuas inter-
nas, adeoque *eſſentiam* ſuam, ſpectata, nihil aliud ſit, niſi *motus ſanguinis*, præter naturalem ordinem & gradum, aliter, non tam breviter aut tranſitorie, inſtitutus, & certa quadam proportione ad certum tempus & effectum, continuatus.

Externa ejus cauſæ, inter quas *efficientem* tantisper conſulto præterimus, ſunt *ſubjectum* circa quod verſatur *materialiter*, & *objectum* ſeu finis, circa quod occupatur *formaliter*. Illud, eſt materia putredini expoſita: Hoc, eſt illius ſucceſſiva præoccupatio, effectus ejus liberi & otioſi continua diſturbatio, imò iſtius, & partium efficaciâ ſua jam quomòdocunque temeratarum, actualis emorio atque eva-

evacuatio, per vias, sed ipsius & consistentiæ, ratione propin-
 quitatis, aut societatis, aut capacitatis, magis proportionatas
 & convenientes.

SECTIO III.

Therapeutica.

De Motuum, qui Febrem constituunt,
 directione, & proportionem, ad secre-
 tionem & excretionem noxiæ
 materiæ.

CAPUT I.

DE GENERALI INDICATIONE
 NIMIÆ QUANTITATIS ET PERVERSÆ QUAN-
 TITATIS HUMORUM PRÆCIPUE
 SANGUINIS.

EX eo, quod in corpore animali, & præcipue conserva-
 tione ejus, seu Actu vitali, omnia fere potissima ad mini-
 mum, *motu* peraguntur, ex ipsiſ utique primis Mechanicis
 principiis neceſſe erit, ut materiæ movendæ ad actum mo-
 tus, juſta ſit *proportio* in quantitate, ſiquidem certo gradu
 motus, certa etiam *quantitas* materiæ, reſpondeat, ne-
 ceſſe eſt.

Valet autem hoc maximè ibi, ubi materiæ movendæ
 ipſius conditio, ita ab energia motus reciproce pender, ut
 quantitas motus, ipſamſ mobilitatem materiæ ſub actu mo-
 tus una quaſi moderetur, producat, conſervec.

Et hoc quidem tantò magis, quando non motus abſo-
 lutè in ſe ſpectatus, ſed instrumenta, ejus, quibus, & per quæ,
 cele-

celebratur, ad hunc effectum inducendæ & conservandæ mobilitatis, plurimum contribuunt: Quod utrumque in sanguine ita fieri, superius, *sect. I. Cap. VI.* latius monuimus.

Rebus ita constitutis, manifestum utique, & conceptu per quam facile est, quod quantitas humorum tractandorum insigniter *abundans*, non modò mole seu pondere sui, ordinario certo gradui motuum præponderet, & non nisi segnus ab hoc superetur: Sed præcipue *viarum*, inter & per quas promoveri debet, proportioni & libertati ita officiat, ut indè facilius impactioni, & successus impeditiõni, quam promptitudini ejusdem, ansa præbeatur.

Cum verò quodocunque tandem & ubicunque hæc potentia in actum deducitur, i. e. ab hac mala proportione ad motus successum, actuale ejus impedimentum atque *stasis* oritur, *corruptio* primum & proximum fit, quod subsequi necesse est: Rationi utique consonum est incommodo huic subvenire, & tam malæ consequentiæ abundantiam, temperativè quocunque possibili modo imminuere.

Cum verò hoc in ipso sanguine non possit aliter fieri, quam per intensiõnem ejus, & diuturnum quidem præterea, *attritorium motum*, qui rapida ejus transpressione per spongiosas partes peripheriæ corporis perficitur: Suscipitur utique rectè hoc scopo, & continuatur satis diu & proportionatè, hic ipse motus, sed est tunc nihil aliud, nisi febris.

Quando autem non jam boni sanguinis nuda *quantitas*, sed mala & corruptiva *qualitas*, sanguini & reliquo corpori ita imminet, ut vel immediatè in *putridam* corruptionem ruat, vel ad minimum æquis passibus, licet mediatè, in hujus generis corruptionem vergat atque tentat: Hæc verò corruptela fit indolis salino-sulphuræ, *fluida*, & *halitosa*; Quæ propriè & proximè per *urinam* & *sudorem* lecerni & *excerni*

cerni possit atque debeat: Propter magnam tamen sui tenuitatem, amplam tenuem distributionem atque *diffinitionem* in totam massam sanguinis, & hujus valde partialem & admodum successivum appulsam, tum ad urinarias vias, tum ad altissimam corporis superficiem; Imo verò, propter hujus materiæ promptam innitulationem & affixionem ad ipsa sanguinea corpuscula: Ob has, inquam, universas circumstantias, prompte, & quasi simul & semel, ita excuti & exonerari minimè possit, sed admodum successivè primò ad *secessionem*, è sanguine velut excuti atque liberari debeat: Deinde demum, tardis sane particularibus appulsibus, ad *excretionem* per colatoria & emunctoria propelli: Per universas has condiciones & circumstantias, non potest aliter, quam *auctiore motu*, concuti & impelli, frequentius & fortius circumPELLI, ut ita tum ad separationem & ejectionem materia disponatur, tum tempestive actu expellatur & evacuetur. Quia actus verò, nempe motus sanguinis circumpulsorius, duplici, triplici, impetu, frequentia & celeritatis, auctus, iterum nihil aliud est, nisi *febris*.

Ex quibus ita dilucescit, quod cum talis materia, tali actu atque motu, non modo commode exonerari possit, sed nullo alio modo æque commode ipsi consuli possit; Omnino autem ita ipsi consuli necesse fit: Cum alioquin gravissimum periculum certò, serius ocyus, immineat: Quod, inquam, sanæ *rationi* omnino conforme atque consonum fit, non modo ut succurratur, sed ut ita utique succurratur, quemadmodum rei conditio poscit & speratus, imò necessarius effectus, iusto mechanico - organico successu, obtineri possit.

Id est: *Quando talis materia adest, & corpori tali periculum inde impendet, imò ingruit, sana ratio non admittit modo, sed*

poscit hanc methodum occurrendi per tales motus, qui recepta appellatione dicuntur FEBRIS.

CAPUT II.

DE SPECIALI INDICATIONE

MATERIÆ DIVERSÆ, VARIAS FEBRIUM SPECIES INDUCENTIS.

Quemadmodum materia febrilis in genere, secretionem sui & excretionem indicat, i. e. ita necessariam facit, ut eadem corpus conservari & non corrumpi ac interire debeat; materia hæc removenda & emovenda fit: Ita in diversis februm, speciebus manet quidem hæc eadem intentio sive necessitas, in genere; In specie verò, major aut minor tenuitas & activitas materiæ, & sedes specialis, quam immediate magis occupat, poscunt utique motuum illorum secretiorum & excretiorum, certas convenientes species, proportionales, directiones, & certas discernendi & excernendi vias.

Ita enim cum materia februm *pestilentium* sit summè tenuis, *balitus* forma oberrans, & vaporetenus in corpus sese insinuans; Quin etiam quantitate seu mole perquam exigua, magnam tamen activitatem revera *fermentativam* habeat; Ita, ut paucissimo tempore corruptelam suam latissimè diffundere valeat: Si *rationaliter* perpendatur, per quas vias, & qua methodo, commodè, imò verò necessario, è corpore ejici possit ac debeat; *Rationi* utique consentaneum est, quod convenientissimè per illa loca, expellatur, quæ excrementa *balituum* & *vaporum* forma expellere, apta nata sint.

Si *methodum* hujus generis excretionem rectè administrandi, *rationaliter* expendamus; convenientissima utique fuerit, alacris utique atque assidua, utpote tali materiæ desti-

destinata, quæ brevi temporis spacio copiosam & festinatam læsionem inferre valeat: Interim certè neque *præcipitatem* esse debere hanc methodum, suadet materiæ paucitas, lætè, & tenuiter in universos humores disseminata: Undè utique humores propterea nimis vehementer agitare, non modò frustraneum foret, sed omninò propter ita contingentem nimiam turgescientiam, placidæ excretioni *vaporosæ*, quæ vias satis patentes requirit, obfuturum potius esset, quàm profuturum.

Dum itaque febres *Pestilentes*, quo magis salubriter cedunt, eò *seniores* atque mires esse observantur; rectè id utique, & planè convenienter cum *ratione*, ita fit, & succedit hinc moderatè aucta transpiratio & lenis sudor: Sed idem quoque simul diuturnus, & quo diuturnior, eo majoris euphoricæ autor.

Imò verò, quando *Pestilens* hæc activa materia in corpus incidit aliundè jam debilius, aut materiâ, quæ *putredine* promptè corrumpi possit, luxurians: Aut invadit Corpus ex longa tranquilla sanitate & medio otio, gravissimi talis periculi securum, & ad extraordinarios, & præterea circumspèctissimos tales labores è profundo otio non facile traducendum: Profectò sanæ *rationi* nempe in quo statu hodie est, nequaquam adversatur, in adeò extremo periculo, tam repente objecto, diu etiam jam eximiè reformidato, & quamvis circumspectissimis laboribus adhuc incertum, an superando &c. coarctari *trepidationem*, *anxietatem*, *dubitationem*, *consilii inopiam*, tentandi præ nimio timore desperabundum fastidium: Turbulentum & extra proportionem modò omniconatu fortissimum molimen, modò desperabundam intentionis desponsionem, & actionis desperatæ negligentiam, suscipi, adeoque dum nihil debitè & convenienter agitur,

tur, invalescente interim mali efficacia, inevitabilem denique inortem obrepere & insequi.

In febribus *exanthematicis*, uti revera nullum fundamentum habet assertio, quod materia illarum ex corporali & Mechanica sua necessitate specialissime *cuti* impingatur, quia *figuram* talem habeant ejus particulae, quae in foliis cutis poros recte & eximie quadret: Cum nimio plus refterur funesta experientia, quod levisimis saltem occasionibus occurrentibus, longe promptius circa *interiora* maneat, aut paucis saepe momentis ad interiora recurrat haec materia, quae fatis laboriose & tergiverfanter, tarde sane, ad cutim admota fuerat: Ita contra potius *rationi* consentaneum est, materiam ita corruptivam apostematodem, Gangranodem, e penitioribus, laxioribus, multo sanguine irriguis, perpetuo nobilissimo & incessabili usus dicatis partibus & *visceribus*, repelli, exprimi, & ad superficiales, ignobiliores, minus inevitabiliter necessarias, robustiores quoque, & ultimae immediatae evacuationi aptiores, partes, ejici.

Inflammatoria febres, sicut opus utique habent, ut copiosior sanguis ad partem affectam appulsus, stagnantem traiectione, tenuiores agilioresque ejus particulas ad minimum, ita auferat, ne diuturno motu immanente, vicinas quoque, & haec iterum propinquas, in eundem intestinum *putridum* motum corripiant: Neque minus particularum harum jam semel commotarum, & a reliquo sanguine ita imbibitarum, maturam eliminationem ex univervo plane corpore, possunt & requirunt.

Ita pro his scopis quidnam *ratio* suppeditabit Consilii? Certe comprimendus versus locum affectum erit ipse sanguis, ut majori copia, & majore penetratione, ibidem appellat:

lat: Intendendus etiam erit motus ejusdem impulsorius, ut vegetior transitus, *absterfioni*, *abrasioni*, *divulsioni*, suffecturus contingat. Imò verò, augendus erit motus sanguinis in univèrsùm, ut auctior *evaporatio* seu transpiratio, pro eva- cuandis halituosis illis excrementis, jungatur.

Hoc si ita in effectum deducatur, nascetur typus *febris inflammatoria*: Nempe non modo *borror* & frigus insigne in principio primo; sed etiam perpetua talis *horridula* & frigidula constitutio; Eveniet congestio & ardor circa ipsam partem affectam, adeoque *ardor*, *dolor*, *angustia*, *inquietudo*: Fiet calor febrilis per totum Corpus, & conjungetur fere continuus *halituosus mador* per univèrsam corporis superficiem. Qui est mos hujus febris, & primario quidem promptissima illa, perpetua *borripilatio*, & continuus *halituosus mador*. Unde in malo gravissimo evenit illud Hippoc. 4. Aph. 48. ut *extremo frigescant, & interiora ardeant*.

Quin imò, cum omnes ejusmodi febres, quarum materia magis præsentis efficacis est, & in ipso sanguine aut visceribus internis hæret, opus habeant depuratoria tali auctiore transcolatione sanguinis per *Viscera*, præcipue *hepar*; Est utique sanæ rationi conforme, ut hæc viscera, ad talem actum, diuturniore continuato successu præstandum, statim in ipso initio ita prædisponantur, ut bene *pervia*, adeoque transcolationi auctiori apta, evadant. Hoc vero non potest aliter, nedum melius, fieri, quam per constrictionem sanguinis & humorum copiosorem, ad illa loca ut ita impacto hac ratione successive, sanguine, (in motu tamen constituto) in poros & meatus viscerum, hi ipsi inde distendantur, adeoque copiosioris transcolationis negotio, statim in ipso principio præparentur:

Hoc ipsum vero si fiat, nihil aliud inde sequetur, quam
E ut

ut partium exteriorum *refrigeratio*, frigus & horror, inde prognascatur; Quod etiam fit, & æc ratione, atque his de causis, omnium febrium continuarum primordia ab horrore inchoantur.

In *intermittentibus* febribus, cum materia hæreat circa *ventriculum, Mesenterium, splenem*; Et sit consistentiæ *mucescentis* spissioris, emollienda proinde atque remollienda, antequam excretioni actuali idonea sit: Huic scopo inservit Humorum *copiosior* directio, ad hæc loca & viscera, ut serosofa aquosæ, & lymphales lubricæ partes, partim *emollicionem* perficiant, partim *vehiculi* vice fungantur, ad commodiorem excretionem. Huic intentioni succurrit congestio repressoria humorum è peripheriâ Corporis, ad intimam ejus regionem: Hæc peragitur non modo Tonicâ illa *contractio*ne habitus externi, sed etiam satis diuturna hujus contractionis continuatione & *detensione*, ut effectus desideratus, nempe sufficiens tran-colatio dictarum humiditatum, ex ipso sanguine, ad materiam ibi impactam, interim fieri possit. Sequitur vero hanc sanguinis repressio-nem ad interiora, diu præsertim durantem, & *aspectus* externi exsucca quasi *extenuatio*, & *pallor*, & *frigus*. Succedit sæpenumero præsertim quo melius procedit totum negotium, in *tertianis, quotidianis*, duplicibus tertianis, Evacuatio sensibilis per *Vomitum* aut *alvum*.

Hæc omnia, si ad rectæ *rationis* ductum examinentur, sane non solum comparebit, quod recte atque ordine ita fiat: Sed non possint quoque aliter fieri, in tali dispositione, qualis est Oeconomix animalis; Ubi nempe *motibus* secretoriis & excretoriis, *Motibus*, inquam, potius, & *Evacuationibus*, quam *alterationibus* quibuscunque, quicquid agendum venit, perpetratur.

In

In *Quartana*, ubi & pertinacior, & profundius impa-
 cta *opilatio* Hepatis, Lienis, glandularum, subest, frustra sine
 omni dubio, foret vehemens commotio, quæ potius *stasis*
 inflammatoriis ansam præbere possit. Interim, quia uti-
 que meretur aliquam amolitionem & emotionem, & quo
 diutius atque otiosius innidulatur, eò firmius quoque im-
 pingi & contumacissimis deinde, imo irreparabilibus Chro-
 nicis morbis, fomitem accendere solet: Suscipitur propterea
 similis methodus, moderata tamen: nempe *congestio* humo-
 rum ad interiora, *emolitionis* & *absterisionis* scopo; Et detine-
 tur propter hanc intentionem, circa interiora tanto diutius,
 ut mora utique *mollescat*, quod impetu non poterat. Unde
 scilicet est, quod *frigus* quarranarium, licet neque adeo præ-
 cept, neque adeo exquisitum, uti in tertianis & quotidianis,
 contingat, notabiliter tamen *diurnius* sit, & ad duas horas
 communissime, non raro etiam ultra, extendatur.

Hectica Febris materia, cum sit periculum inflamma-
 torio-putredinosæ corruptionis, e *scirrho*, aut *ulcere* visceris
 alicujus, facile metuendum; Eget non modo perpetua vi-
 gili circumspeditione, & circumspectâ opera, ne potentia il-
 la proxima in actum deducatur, aut prævaleat: Sed requi-
 rit ad hunc finem assiduam utique *vegetiorem* sanguinis agi-
 tationem, tam ad abstergendum, quam educendum, quic-
 quid exacerbationi illius mali hospitis, stimulum addere, aut
 fomitem præbere possit. Et hoc certe juxta dictamen re-
 ctæ *rationis*, & directione scitâ prorsus atque recte quadran-
 te. Ubi simul à recta *ratione* nihil alienum est, sub tam *an-*
cipiti in ipsi visceribus alicubi hærente malo, licet Sanguis
 præcipue, interim necessariâ nutritione sustentetur, reliqui
 tamen Corporis structuram potius valde negligenter fieri,
 ut magis decrementum ejus quam incrementum inde re-
 sultet:

fultet: Quia utique perpetuo *imminenti* corruptioni quasi operose præstruere, & instanti consumptioni laborare, à ratione maxime alienum censendum.

Ultimo loco id unum utique monendum est, quod, dum de *rectaratione* loquimur, non illam *Utopicam* & *Hypobeticam* intellectam velimus, qualis esset deberet, si *vocabulum* Rationis, & *recti* atque *sani*, ad *anglicæ* Philosophicæ & Speculativæ restringi, & ad hujus normam explicari deberet. Sed intelligimus potius *Rationem*, non modo qualis post lapsum vulgo & quasi in genere deprehenditur; sed etiam secundum Individua quoad exercitium & promptitudinem maxime variat. Idque tanto magis, quia etiam hæc ipsa secundum rationem instituenda & dirigenda *Febrilium* laborum conamina quasi evidentiter ita administrantur in plerisque Individuis, quemadmodum eadem in ipso rationali actu, circumspicte aut confuse agere assueverunt. Ubi quidem, si Anima certa ipsum nudum actum rationis, nobilissimum sane, turbulenter agere assuevit; Tanto minus mirum est, si circa ordinem agendi in res Corporeas, ad suscipiendos varios motus non ita nude dispositas, minus quoque ordinate versetur, sed ibi quoque non minus, quam nuda ratiocinatione, subinde errores committat.

Et hæc quidem sufficere poterunt ad demonstrandum FEBRIS RATIONALEM RATIONEM, sive, quod Motus illi, qui Febrem constituunt, scitè prorsus, proportionate, & utiliter suscipiantur active, contra ipsam illam corruptivam materiam, quæ nisi hoc labore convenientissimo vinceretur & expugnaretur, Corpus in gravissimum periculum, imo frequentissime absolutum excidium inevitabili ruina præcipitaret: Contra quas clades hoc ipsum, FEBRE legitim administratâ, potius defenditur, & in vitâ conservatur.

00 A 6374

ULB Halle

002 929 228

3



86

1577







DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
De

FEBRIS RATIO- NALI RATIONE,

Quam

IN ALMA REGIA ET ELECTORALI
FRIDERICIANA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c.

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

MED. D. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. ACADEM.
PRO RECTORE ET FACULT. DECANO,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores
& Privilegia Doctoralia adipiscendi,

Add. Martii, Anno MDCCI, Horis ante & pomeridianis,
Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet

IOHANNES FRIDERICUS REINECCIUS,
Francohufanus.

HALÆ MAGD. Typis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.